



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesu Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XVII. Quam efficaces Ignatij ad suos Epistolæ, & quanti apud ipsos earum vna ponitur eximiis plena documentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

tur acturi, si fato fungerentur quos sibi eripi noluisſent. Quanquam operum partes quas vno diuini obſequij iudicio ſuis diuidebat, poſtpoſita mortalis cuiuſuis interceſſione; tam iuſto veroque examine libratae cernebantur, vt quos praeter Dei gloriam nihil moueret, implerent opinione aequitatis, nec poſſent illas improbare, & viri vndecumque magni, ſuam de iis ſententiam, in eius arbitrio ſecuri reponerent. Inter hos Cardinalis S. Crucis, anno 1547. Ignatium monens, occupati ab ſe Tridenti Lainium in colligendis erroribus quos eſſet Synodus damnatura, quod agre poterat alteri committi, ſubdebat [ſi tamen aliud tibi videbitur, opuſque imperfectum relinqui, vt primum ſignificaueris, id fiet] qua ratio noſtrum labores eo conuertendi, vnde maiores ad Dei gloriam acceſſiones affulgerent, ad hoc illum induxit, ſtupendum plane conſilium, euocandi Romam Xauerium vſque ab Indis, ac niſi appuſum literarum quibus redire iubebatur, Xauerij obitus praeruertiſſet; non ambigue reipſa conſtaret, tum publico Eccleſiae vſui, tum Societatis nominatim, Xauerium futurum fuiſſe in Europa quam in Oriente fructuoſiorem, nam vtroque hoc orbe in lancem impoſito, cum aliunde Indorum cultura non deeſſent praestantes Euangelij praecones; ſed harum proſecto partium, cura debuit geri, hoc magis ſollicita, quod in iis cor latet, ex quo in membra longiſſime diſſita, vitae aut ſecus; boni malive vis omnis diſfunditur: & hoc etiam in eo quod ſequitur ſpectauit Ignatius, cum enim ad eum Xauerius Antonium Fernandium adiutorem miſiſſet, expoſiturum coram, miſeram Indorum deſtitutionem, & conſcripturam qua ſecum duceret auxilia operariorum, re diu multumque verſata Ignatius, induci non potuit ſuis Europam ſubſidijs priuare, qua vt eſſent ingenti numero, ſed erant nihilominus neceſſitatibus temporum longe imparia; & P. Ribadeneira, preces in Antonij cauſa dolentius interponenti: ſcias Petre, ait, & certum habeto, non minus has plagas ſtrenuis operis egere, ad tuendam inter Chriſtianos, fidei ſacrae incolumitatem, quam ad eiufdem primordia ethnicorum animis inferenda.

Huic diligentiae repetendi ab ſuis aſſidue operis a conditione illorum, & caritate ſua nequaquam degeneris, comes aderat par cura fingendi illos ad hoc opus, exornandique iis dotibus quibus ad auſus diuinae gloriae ſtrenuos paratiores accederent, adhiberiſque ad eos aptius a Deo poſſent: & cum vbique non liceret magiſtri coram, bonique ductoris officio fungi, praestabat hoc ipſe per literas, in quibus ſe ſuis praesentem ſiſtebat ſua illa flagrantem caritate, qua quocumque illae mitterentur omnia inflammabat. Harum vniam ad Coninbricenſe Collegium, meminit Martinus S. Crucis, Romam in hunc modum ad amicum Scribens. [Venerunt ad nos Patris Ignatij expectatiſſimae, & optatiſſimae literae: praeter eam quam omnes inde hauſere voluptatem, incredibile eſt quam acres ſingulis ad omnem virtutem, & ſcientiam ſubdiderit ſtimulos, nec ſemel legiſſe fatuit, rogant multi quot hebdomadis relegi, nec deſunt qui eius duxerunt

XVII.

Quam effica-
ces Ignatij ad
ſuos Episto-
lae, & quanti
apud ipſos ea-
rum vna po-
nitur eximijs
plena docu-
mentis.

Apographa quæ semper in oculis habent; ac meritò, cuncta enim complanat quæ moram nobis in cursu ad Deum facere consuerunt, in eumque nos mirificè incitat & confirmat.] Aliam eiusdem Epistolam Ludouicus Mendoza quanti faceret ostendit, rescribens, sibi venisse gratiorem quam si pignus sacræ purpuræ pileum à Pontifice accepisset. Errarim longius ab historiæ filo, si vel tantum selectas ex iis literis sententias aliquot retulerò: vnã dabo solummodo Epistolam integram, in reliquarum specimen & saporem, illius aequè, vt spiritu, sic prudentia animatam, eam ipsam quam mox aciebam ab eo Conimbricam ad nostros missam. [Gratia & amor æternus IESV CHRISTI Domini nostri, sit semper in fauorem & auxilium vestrum. Amen.

1. Sæpè, cum litteris Fratris nostri Simonis, tum à sancta Cruce, de vobis nuntios accepi. Neque Deum fugit, bonorum omnium fontem, quantam lætitiã animo & consolationem hauserim, cum quibus stimulis diuina Maiestas vestra in virtutem studia incitaret, accepi. Quod etiam in his plagis tanto à vestris locorum interuallo, & longinquitate disjunctis, magno est multis animo & exemplo. Atque illud quidem omni vero germanoque Christiano, meritissimo iure, lætandum intelligo, cum & Dei creatoris nostri gloriam quantum maximam honorèque diligere, & ipsius imaginis, quam pretioso sanguine vnigeniti filij sui redemit, vtilitate emolumentoque gaudere, communi omnes obligatione teneamur: mihi verò in primis in Domino lætandum, qui non modò nulli in hoc genere cedere, sed peculiari etiam amore vestri ardere, & flagrare debeam. Sit laus & Gratia Deo Creatori nostro, ex cuius infinità liberalitate & munificentia, bonorum omnium ratio gratiæque redundant. Faxit diuina Maiestas, vt suus ille fons diuinæ misericordiæ, largiori in dies perennitate scaturniat, vt quod in vobis clementer inchoauit, assiduâ accessione, cumuloque perficiat. Nec verò dubito, quin summa eius bonitas, immensus amor, caritasque paterna (quæ ad perfectionem nobis sponte largiendam, quàm nos ad eandem vestigandam paratior est) ad egregios exitus sua cæpta perducatur: quod si secus haberet, æternus eius Filius ad eam perfectionem, quæ à solâ ipsius benignitate dependet, nequaquam in hæc verba nos hortatus fuisset: estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est: vt quod ad illum attinet certum omnino sit, illum semper esse ad liberalitatem paratum: modò altam in nobis profundamque humilitatem, & dignum suã gratiã desiderium inueniat, & benè acceptis beneficiis vt, & in impigrã gratiæ cooperatione versari incessanter nos videat. Quo sanè in genere committendum non puto, vt qui vestrum in hoc virtutis stadio, brauij studio gratiæque decurrunt, non eos suis aculeis suscipiam. Quamobrem vestrum est ad acquirendam virtutem, vestram omnem operam industriamque conuertere, si quam non modò in vestro Regno, sed alibi passim, in multorum animis expectationem concitastis, sustinere velitis: qui cum vobis interiùs, & extreriùs, suæ præfidiis gratiæ vndequaue vallatis,

Matth. 5. 48.

vallaris & peculiari quodam favore dotatis, benignè Deum facientem aspiciant, à vobis non immeritò insignem quemdam fructum, & extraordinarium expectant.

2. Et verò, quem tanta, quanta vos seruiendi Deo obligatio deuincit, vulgari labore & famulatu non est contentus, qui par quidem obligationi ante vestram vocationem fuisset, quia quod tunc temporis non in minimis erat ponendum, iam certè vobis in nihilum verteretur. Neque enim Deus vos solum eduxit, de tenebris in admirabile lumen suum; & transtulit in Regnum Filij dilectionis suæ, quod cum aliis fidelibus vobis voluit esse commune; verum etiam vt melius puritatem studiumque Rerum ad suum obsequium pertinentium tueremini, è voragine illà gurgitèque mundano vos amantes extraxit; non solum vt ne vestra salus & innocentia in discrimen veniret in mediis procellis, & tempestatibus iis quas nunc bonorum & opum, nunc honoris & gloriæ, nunc voluptatum audissimus turbo, ac inportunus metus naufragij & iacturæ, excitare consuevit; sed etiam insuper vt ne vestrum animum humana res viles atque labiles irretitum tenerent, & vestrum cor in varias partes distractum occuparent; quò gloriæ diuinæ, quò vestræ saluti, quò auxilio proximi, (quem in finem vos condidit) vos totos certatim penitusque dedatis. Tamen si autem quidquid Christiana Doctrina complectitur, ad eum vos finem dirigat & perducatur; nihilo tamen secius vos eò vocauit, vt ad Dei gloriam, proximique salutem Iuge sacrificium vos exhibeatis: eius bonum & progressum spiritualement, non tantum exemplis, desiderijs, internis orationibus assidue procurando; sed medijs etiam, & instrumentis externis, quibus vt alter alteri succurreret, & proximum iuuaret, diuina providentia præcepit. Atque inde videre licet, ad quàm celsum, nobile, & regale genus viuendi vos extulerit, cum nec in hominibus, nec in ipsis Angelis, quàm in se Deum magnificè laudare, & eius re-creatas, pro earum captu, ad ipsum conuertere, nullum exercitium officiumque sublimius reperiri possit.

3. Gaudete igitur, & infinitas agite Deo gratias pro tanto beneficio: cui utcumque pares, vt esse possitis, particularis gratiæ ab ipso auxilium opemque postulate. Nam magnà certè vobis opus diligentiam, vt tantum finem assequi valeatis. Quæ retrò sunt, quæso, in gratiam IESU CHRISTI obliuiscimini: Et quasi nunc primùm tam longum iter suscipere, virtutis viam indefesso progressu alacriter metimini: Et in bonis vestris sanctisque exercitijs ab omni tepore atque pigritia, tanquam ab hoste capitali abhorrete. Illos sibi quisque ad imitandum proponat, quos diligentia insignes & magnanimitate videbit. Cauete ne filij huius sæculi maiori curâ & sollicitudine in caducarum rerum, quàm vos æternarum assentionem, incumbant. Pudeat, quòd in mortem illi, quàm vos in vitam citiori gradu ferantur. Viles, abiectos, imbelles vos, ignauosque putate, si vel vnus in aula reperiatur, qui vt terreni principis fauorem nescio quem

1. Petr. 2. 9.
Coloss. 1. 13.

Præu. 13. 4.

quem, & gratiam aucupetur, ipsius nutibus diligentius seruiat, quam vos, ut gratiosi apud cœlestem Regem Imperatorémque euadatis: Et si in bello miles generosius pugnet ut victoriam obtineat, fulem gloriam colligat exuias consequatur; quam vos ut de vobis victoriã strenuè partã aternam gloriam in cœlesti Regno consecuti triumphetis. Quorca per IESVM CHRISTVM vos oro, & obtestor, ut nullum vnquam in diuino seruitio teporem admittatis: quandoquidem, arcum frangit intensio, animam remissio: & contrã ut testatur sacra pagina, Anima operantium impingua-bitur. Fouete semper in sinu cordis vestri viuudum quemdam sanctumque seruorem ad quosvis pro virtute exantlandos labores: quia ratum aliquod & eximium facinus, sexcentis vulgaribus minutisque antecellit: ad quem enim virtutis gradum multis annis piger non potest adrepere, exigua temporis intercapedine, diligens mirabiliter volat.

Apoc. 2. 2.

4. Certum est etiam pigros, quod se ipsos non vincant, nec ad animi pacem, nec ad perfectam vnquam vllius virtutis possessionem venire; cum tamen diligentes vtrumque paucis diebus facile consequantur. Eodem accedit, vsu ipso & experienciã patere, non ignauos & tepidos, sed arden-tes & gnauos in obsequio diuino animi pace & tranquillitate potiri. Et meritò quidem: dum enim in victoria sui ipsorum laborant, ut amoris propriij se à vinculis laxent, vsque ab imis fibris mœstitiam, mœrorem, aliosque turbulentos motus animi euellunt, & sensim sine sensu virtutum habitudines suis animis induunt, à quibus parati, quasi natura duce, deinceps operantur, & ad sanctam à Deo percipiendam lætitiã consolatiõnemque parantur: quia vincenti dabitur manna absconditum. At verò contrã negligentia & tepiditas semper; mœstos parant ignauo labores, quod illorum causam, amorem nempe proprium, non procul amandet, nec bonis operibus Dei gratiam mereatur. Nullum ergo laborem in bonis omnibus, laudabilibusque exercitijs detrectare debetis: quia vel in hac vita, in studio perfectionis Religiosæ, & in constanti bonorum operum & virtutis exercitio, sancti seruois fructum degustandum capietis. Deinde si mentis oculos in gloriæ aternæ præmium mercedemque iaciamus, nullo negotio nobile illud S. Apostoli in animum inducemus. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: quia, quod in præsentem est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate aternæ gloriæ pondus operatur in nobis.

2. Cor. 17.

Dan. 12. 3.

Quod si in mundo, in Christianis omnibus, qui Dei cultum & obsequium profitentur, seruo ille elucere videtur; quanta vos tandem manet in cœlo Corona, si ad vestram vocationem vos totos singatis; cuius tota ratio, non in eo solùm consistit, ut ipsi apud Deum in famulatu simus, sed ut alios multos ad eundem trahamus? De illis enim sic scripturã loquantur: Qui ad Iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas aternitates. Quod in illos conuenit, qui & in ipsa spiritualium armorum

armorum tractatione, & in solerti ad illa preparatione, diligentia quam maximam sua munera exequentur. Neque enim sufficit opera per se bona facere, sed bene facere: cum vnus ex prophetis dicat: maledictus, qui facit opus Domini negligenter, & Apostolus, qui in studio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Item: non coronatur, nisi qui legitime certauerit, quod de illis dicitur, qui dum adhuc in viuis versantur, ne latum quidem vnguem de officio discedunt. At præter omnia velim vnumquemque vestrum cum zelo gloriae Dei, proximorumque salutis, IESU CHRISTI Saluatoris nostri puro & sincero amore lucere.

Jerem. 48. 10.

1. Cor. 9. 24.

2. Tim. 1. 5

6. Ad quem finem estis vocati, infractis animis enitimini; cum tot eius causam vobis à Deo auxilia, & Instrumenta suppetant. Hæc instrumenta sunt omnia gratiæ dona spiritualia, quibus nos in omni bono opere, nos inquam, à natura ipsi adeo aduersos, rebelles, contumaces, hæcenus præuenit & præuenire dignatur: Hæc instrumenta sunt incredibiles promissiones suæ gloriae, vt communionem suam immensam præstantiam, quod ipse est natura, nos gratia euadamus: instrumenta denique, tota ista rerum vniuersitas est; cum non solum quæcumque subter, sed etiam super orbem cælestes sunt, illæ nimirum omnes diuinæ mentes, cælestesque Hierarchia nostris sunt ab eo ministeriis destinata: Omnes enim sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis: Quod si omnia hæc instrumenta sufficere non videantur, se ipse instrumentum præstitit, cum pretium nostræ salutis, in cruce se obtulit, & in Eucharistiæ augustissimo sacramento in viaticum, & duce huiusce mortalis peregrinationis se dedit. Heu quid illi sufficiat, cui non tot bona, & incitamenta sufficiant, vt ad sui principis se obsequium componat: Et vt ad hoc maiori promptitudine, & alacritate curandum pluribus nominibus nos obstrictos haberet posthabitam quodammodo suam infinitam gloriam, quæ fruebatur, præstantiam, vt eandem nobiscum aliquando communicaret, tanto beneficio nos indignos affecit; nostris miseriis se onerans, vt nos illis leuaret; seipsum vendi volens, vt nos redimeret; infamari, vt gloria donaret; pauper esse, vt ditaret; vsque adeo denique infamam mortem sibi deligere, vt nobis immortalem & beatam viuendi rationem impertiret. Itaque si vinculis obligationis tantæ vos ligatos videtis, & ad eius seruitium, accretionemque gloriae toto pectore aspiratis; in hoc vos tempore versari habetote, quod etiam atque etiam industriam vestram zelumque requirit. Videte quantulus honor diuinæ Maiestati in præfens habeatur, veneratio exhibeatur, obedientia præstetur. Imò verò cum intimo maximoque dolore diligenter videte, in quantam ubique gentium ignorationem versetur, nomen eius blasphemis vocibus profcindatur; & IESU CHRISTI sempiternæ sapientiæ doctrina contemnatur, vitæ spudietur, pretium sanguinis vilescat, & quadam ratione, quantum in nobis est, penitus perdatur, & in nihilum occidat. Tanta illorum paucitas, qui ad salutem vtantur.

Heb. 1. 146

T t

7. Videre

7. Videte vestrum proximum tamquam imaginem sanctissimæ Trinitatis, ipsius gloriæ capacem, cui totus orbis utpote templo sancti spiritus, membro IESU CHRISTI, pretioso eius sanguine redempto, famulatur; videte inquam, proximum, quot & quantas misérias incurrat, in quibus tenebris ignorantia iaceat, quibus terrestrium desideriorum, vanarum opinionum, impotentium appetituum procellis obruatur, quot & quantum hostium impressione laceratur & impugnetur, cum periculo perdendi non reculas caducas & perituras, sed Regnum gloriæ & felicitatem æternam; & simul incidendi in pœnas intolerabiles & supplicia sempiterna: videte, inquam, ut IESU CHRISTI gloriam, honorémque defendere, & proximi salutem procurare debeatis: certè videbitis, quæta ad quoscumque suscipiendos labores præparatio sit adhibenda, ut apta ad eum finem vos diuinæ gratiæ instrumenta præstetis, præsertim cum tam rarum sit bonorum operantium genus, qui querant, non quæ sua sunt, sed quæ IESU CHRISTI.

Rom. 12. 1.
Psal. 98. 4.
Leuit. 2. 13.

Ecccl. 7. 17.

8. Atque eo Consilio, ita locutus sum, ut vos excitarem; & ad eorum qui parum festinant, tarditatem cursus, pernicitatem adiungerem; non ut in aliud extremum minus cauti feruoris vos impellerem: nam ex tepore pariter & feruore nimio, morbi animi proficiscuntur: Rationabile obsequium vestrum, inquit Apostolus: & regius Prophetâ, honor Regis iudicium diligit; scilicet discretionem: & in Leuitico diuinitus præcipitur: in omni oblatione tuâ offeres sal. Et verò hostis ille noster nullâ re magis caritatem extinguit, quàm immodico & inconsiderato in virtute progressu. Nequid nimis, ait paroemia. Quod cum in omnibus tum etiam in iustitiâ, ut monet sapiens, rationibus obseruandum. Sic enim: Noli esse iustus multum: quæ si regula & moderatio absit, bonum in malum desinit, & virtus in vitium: ac inde incommoda quæ eam mente illius, qui per extremum illud, iter facit, depugnant, alia ex aliis quàm plurima enascuntur.

Prou. 13. 11.
Prou. 19. 2.

9. Primum illorum est, diu illum Deo seruire non posse ut equis accidit, qui post nimium iter incursum fatiscunt. Sic sæpè vsu venit, aliorum operas nostri gratiâ impediti, cum nostras aliis præstare deberemus. Alterum est illum sibi moderari non posse, qui nimias celeritates præcipitanter suscipiat: nam substantia festinata minuetur, ait sacra pagina. Atque ita æstus & præcipitatio caput ruinæ est; qui enim festinus est pedibus, offendit. Tertium est, illi curæ non esse, periculo nimij & insolentis oneris suam nauem liberare. Quia si periculosum est, illam ad portum fortunatum appellere, non minoris periculi & discriminis est, tantum illi pondus atque onus imponere, ut necessariâ depressione subsidat. Quartum est, nouum hominem, non autem ut par erat, veterem Crucifigi, cum prædebilitate, exercendæ virtuti vacare non possit: Atque ex S. Bernardo, per immodicum illum feruorem quatuor nobis iniuste subripiuntur, nimirum, corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo honor: ut qui ita se gerit, tanquam sacrilegus, quod templum Dei vitium tam malè habuerit,

habuerit, illorum omnium sit quæ attigimus, reus; & rationem Deo reddere teneatur. Ad hæc suum proximum bono fraudat exemplo, quod vnius casus cæteris sit terrori, & multorum feruori in viâ virtutis teporem adspergat, & ita proximo offendiculum pariat. Quamobrem idem sanctus huiuscemodi hominem, reum veritatis, & inimicum pacis nominatim proclamat. Præterea genus illud hominum arrogans, superbum, gloriosum esse solet, & in iudicio suo cæteris præferendo, & in eo saltem, in quod ius non habet, sibi arrogando, cum in propriâ causâ quod superioris est, personam velit iudicis sustinere. His autem incommodis alia quædam accedunt: nempe, tot armorum onus subitur, (quod Dauidi contigit in armis Saulis) vt vsus nullus eorum consequatur, & calcaria quidem, nullum autem frænum indomito equo intractabilique paratur. Vt discretio & prudentia sit opus, quæ vt optimè Diuus Bernardus monet, inter vtrumque extremum progrediatur. Bonæ inquit, voluntati non semper credi expedit, sed frænanda est, sed regenda est, & maximè in incipiente, si vero vobis rara & inuentu difficilis discretio videbitur, per obedientiam, ad quam confugiendum, eius defectum ad securitatem supplete; quod si quis proprio velit adherere iudicio, D. Bernardum audiat. Quidquid sine voluntate vel consensu Patris spiritualis sit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi. Et dicti huius reficite memoriam. Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Quapropter per obedientiam voluntates vestras, & iudicia mactate, & nimiam corporis debilitationem vitate.

10. Neque tamen putetis velim, displicere mihi, aut suam apud me laudem non obtinere, quod de vestris per litteras mortificationibus accepimus: si quidem non me præterit, sanctos olim, sanctas id genus insaniendi rationes, præsertim suæ conuersionis initio magno suo fructu & progressu virtutis, ad sui victoriam, & maiorem virtutis acquisitionem adhibuisse: sed illi, qui dante Deo, suæ iam voluntatis & amoris proprii victores euaserunt, longè certè satius erit, vt se ad normam moderationemque discretionis componant, nec ab obedientia recedant, quam vobis maximè, & illam pariter commendo virtutem, quæ alias omnes continet, cuique præcepti nomen Dominus noster fecit his verbis: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem: Neque verò duntaxat inuicem vos perpetuò diligere & amare debetis, sed amorem illum omnibus communicare, excitantes in vobis, quoad eius fieri poterit, salutis proximi ardentia desideria, & iustam illius, vt IESU CRISTI sanguine & morte redempti, rationem habentes vt eâ præparatione, & internæ caritatis incremento, apta diuinæ gratiæ ad cooperationem tam arduam, & præstantem conuertendi animas ad Deum finem nostrum vltimum, instrumenta euadatis. Neque vos proximo inutiles esse credatis, quamdiu affectiones huiusmodi sentietis: quia præter fructum vestrum, multis modis illi vos fructuosos præbetis: in primis quidem præsentis labore, & illius suscipiendi intentione,

T t 2 cum

1. Reg. 17.
39.*Bernard. ad
Orat. de
monte Dei
vitâ solit.*1. Reg. 15.
23.

Ioan. 15. 12.

cum vos omnino totos ad eius instructionem, & ædificationem formetis. Etenim quando miles egregiis armis ad sua cœpta se munit, nemo laborem eius ad obsequium sui principis spectare negauerit, licet ante moriatur, quã vota sua implere potuerit. Itaque ad alias peculiare pietatis orationes, cuiusque vestrum est quotidianã se Deo in proximi salutem, oblatione dicere. Secunda ratio inuandi proximi, studio pietatis virtutisque censetur. Ex illo enim, ad eos, cum quibus agitis, pari pietate, & virtute informandos magna vobis aptitudo oboritur. In effectiõnem naturalium rerum præter communes causas, vt cœlum, astra, elementa, peculiaris & proxima (quod vsu constat & Philosophiã) causa necessaria est, quæ forma simili producendæ sit prædita: perinde id est placitum diuinæ sapientiæ vt causa proxima, qua vitur ad aliquem humilitate & caritate exornandum earumdem virtutum ornamentis effulgeat. Itaque dum operam virtuti nauatis, simul saluti proximi consulitis: nam licet ad perfectum absolutumque instrumentum, vitæ sanctimonia scientiãque requirantur; nihilo tamen minus tum ad percipienda, tum ad communicanda dona sancti Spiritus, multis partibus litteris bona vita antecellit. Tertia ratio est virtutis vestræ exemplum, ex qua, non solum per vestras, quæ Dei est gratia, sed per omnes etiam regiones Europæ, bonus odor afflatur: qui sanctitatis & bonæ vitæ odor, vt in immensum excreseat, sua dona nostrum Dominum vobis conseruaturum, aucturumque confido. Quarta ratio inuandi proximi (quæ longè & latè patet) sanctis desideriis precibusque continetur. Verum hæc rationes, & alias huiusmodi, quarum non estis nescij, melius didicistis ab illis, cum quibus agere & communicare licebit, quàm ego docere, aut scribere valeam. Quamobrem multarum rerum scriptiõne abstinemus, quibus hoc tractare argumentum possimus; sed cum scribam ex occasione, acceperimque vos aliquid à me litterarum expetere, iam vnus ad vos litteris me pariter, & vos consolandos putauit, nihil aliud impresentiarum habeo, vnum dumtaxat precibus à Deo saluatore & Domino nostro suppliciter contendo, vt sicut vos tantã vocationis gratiã dignari, & efficaci voluntate vosmetipfos, sibi consecrandi, impertiri non dubitauit; sic sua dona donis, & gratiam gratiã cumulet vobis, vt perpetuò in virtutem crescatis, magisque ac magis in suo sancto obsequio ad suam ipsius gloriam, & emolumentum Ecclesiæ perseueretis. Datum Romæ IV. Nonas Martias, anno Domini. M. D. XLVI.

Vester in Domino Nostro.

IGNATIUS.

XVIII.
*Ignatij opera
in auxilium
animarum.*

Cuius nonnulla hic protuli argumenta, pars est eius amoris potissima quo in salutem animarum pectus Ignatij feruebat, est enim tum vniuersalior, tum validioris efficientiæ, tum post ipsum quoque perennatura dum

quæ